



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

Concilivm Contra Massalianos Haereticos In Oriente Celebratvm Anno
CCCCXXVII. sub Caelestino pontifice.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

VALENTINIANI IMP. CONSTITVTIO. 673

tem, errata correxerint, seseque catholicæ fidei reddiderint, Gallicanis regionibus expelli, atque in eorum loco sacerdotium fidelius subrogari: quatenus præsentis erroris macula de populorum animis tergeatur, & futuræ bonum disciplinæ iustioris instituat.

I V.

Sane quia religiosos populos nullis decet superstitionibus deprauari, Manichæos, omnesque hæreticos, vel schismaticos, siue mathematicos, omnemque sectam catholicis inimicam, ab ipso aspectu urbium diuersarum exterminari debere præcipimus, ne præsentis quidem criminorum contagione foedentur.

Cod. Theod. De hæreticis l. 64.

V.

Iudæis quoque, vel paganis, causas agendi vel militandi licentiam denegamus: quibus Christianæ legis nolumus seruire personas, ne occasione dominii sectam venerandæ religionis immutent. Omnes igitur personas erroris infasti iubemus excludi, nisi his emendatio matura subuenierit. Data VII. Idus Iulias Aquileiæ, cons. D. N. Theodosio Augusto XI. & Valentiniano Cæsare consulibus.

NOTA IACOBI SIRMONDI SOCIETATIS IESV.

^a *Valentiniani III. Cæsaris constitutio.*] In optimo & antiquissimo codice ecclesiæ Lugdunensis, in quo post Synodos Gallicanas adiecta ad finem sunt integræ diuersorum principum constitutiones 16. de rebus ecclesiasticis, ducto ab iis tribus initio, quæ iam editæ sunt ad calcem codicis Theodosiani, huic Valentiniani Cæsaris constitutioni, qui sexta ordine numeratur, titulus argumenti loco est huiusmodi: *Non licere clericos iudicio publico litigare, & omnes hæreticos debere de ciuitatibus proiici, & Christianos seruos non debere Iudæis seruire, & Iudæos non debere militare.*



ANNO CHRISTI 427.
^a CONCILIVM
CONTRA MASSALIANOS HÆRETICOS
IN ORIENTE CELEBRATVM ANNO CCCXXVII.
sub Cælestino pontifice.

NOTA.

^a *Concilium.*] Anno Christi 429. Cælestini 4. Theodosii 20. celebrata est Synodus in oriente, in qua aduersus Massalianos hæreticos,

Causa, locus & tempus Concilii.

ITVTIO.
SARI
Theo.
Cæsare
V.
omnesque ha-
renaticos.
agere, aut mil-
nec mancipia
Cæsar,
arum.
n omnium,
rona devo-
cincipibus
idata æter-
re præsum-
emur.
lares iudices
episcopali
circa eos san-
neris ministri
In Iulianis
in prouincia
rena sacrilegi
ensura præce-
egia veterum
giani & Cæle-
troclumacro-
iri. Quos qui
ex conuenio
uimus facite

alias sepe damnatos, constitutum fuit, ne licet summam pre se ferrent poenitentiae speciem, amplius in ecclesiam reciperentur, quam sapius grauissime eluserant. Hunc conuentum episcoporum celebrem fuisse, ex praesentia Sisinnii Constantinopolitani, & Theodoti Antiocheni episcopi, euidenter intelligi potest. Acta huius Synodi perierunt: Canon, quem Photii bibliotheca seruauit, reliquus reperitur hic dumtaxat vnus: *Si quis post anathematisimum fuerit aliquando deprehensus vel verbo, vel opere in suspicionem huius morbi lapsus, nunquam amplius in posterum locum habeat, neque si decies millies polliceatur se esse paratum ad omnia, quae ad poenitentes attinent.* Vide Baronium anno 427. num. 23.

ANNO
CHRISTI
427.

CONCILIUM
ROMANVM SVB CÆLESTINO
CONTRA NESTORIVM.

ANNO
CHRISTI
430.

NOTA.

Causa Concilii.

^a *Romanum.*] Causa habiti Concilii hæc est. Scriperat Nestorius ad Cælestinum pontificem epistolam de Pelagianis episcopis, qui ob hæresim Pelagianam suis episcopatibus priuati, Constantinopolim ad Theodosium confugerant, de iniuria sibi illata conquesturi. Atque vt Cælestinum in suas partes callide pertrahere posset, semine suæ impietatis totam illam epistolam replet, quasi hæreticos ille correxisset, ac S. Mariam non theotocon, sed Christotocon appellandam esse docuisset. Suos hac de re scriptos commentarios addidit, eosque cum literis per Antiochum virum illustrem transmisit. Eodem tempore Possidonius diaconus cum literis Cyrilli, & commentariis, quibus Nestorii impietas confutabatur, superuenit, expectans quid de Nestorio excommunicando pontifex sentiret. His itaque literis acceptis, Cælestinus congregata Synodo, Nestorii hæresim nemine refragante condemnauit; ipsique Nestorio decem dierum spatium ad resipiscendum, per literas ad eum missas, præscripsit: demum nisi resipiscat, anathema comminatur. Scripta epistola ad Cyrillum de rebus in hac Synodo gestis, extat infra part. 1. cap. 15. in actis Concilii Ephes. suas illi vices committens, mandat, vt nisi Nestorius intra decem dierum interuallum, tam verbi prædicatione ad populum, quam scriptis palinodiam recantet, anathemate illum feriat, aliumque episcopum Constantinopolitanæ sedi præficiat. Baron. an. 430. num. 1. & sequentibus. De vita, moribus & doctrina Nestorii infra Concilio Ephesino plura.

Nestorius
cum sua
hæresi
condemnatus.